



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Ioffrido Abbati Monasterij de Sore, ejúsque fratribus tam praesentibus
quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

consuevit assumere, aut in extremitate pallij, quod manu Episcopi vel cuiuslibet alterius Prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super ipsum altare aliquo involutum panniculo cum debita humilitate ponendum, sub testimonio videntium & audientium, forma donationis huiusmodi subsequente, quæ scotatio vulgariter appellatur. Verum quia huiusmodi donatio malitiosè à quibusdam cavillatoribus, sicut asseris, impeditur, à nobis humiliter postulasti, ne loca religiosa & Ecclesiæ, quibus multæ possessiones sub scotatione huiusmodi sunt collatæ, ab aliquibus possint vel debeant temerè perturbari, paterna debeamus sollicitudine providere. Nolentes igitur ut tales constitutiones, quas diuturnitas temporis, ut asseris, observavit, & usus consuetudinis hæcenus approbatæ retinuit, temeritate qualibet infirmentur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus donationes eorum quæ sub obtentu consuetudinis claustris, Ecclesiis, vel quibuslibet locis religiosis piè ac providè conferuntur, vel etiam sunt collatæ, faciatis irrevocabiles observari, cum huiusmodi signum, quod scotatio dicitur, non tam factæ donationis quàm traditæ possessionis sit evidens argumentum. si quos contradictores inveneritis aut rebelles, auctoritate freti apostolica, per censuram ecclesiasticam, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo compescentes. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

S. PRÆPOSITO DE STRAND.

Cvm à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu, Præposituram sitam in locis qui vulgariter appellantur Strand & Ford, sicut eam prædecessores tui justè & canonicè possederunt, & tu eandem à venerabili fratre nostro W. Episcopo Sleshuicen. canonicè tibi concessam justè ac sine controversia possides, cum omni jure ac pertinentiis suis, auctoritate tibi apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

ABSALONI LVNDEN.
Archiepiscopo.

TRansmissa nobis dilectus filius S. Præpositus de Strand conquestione monstravit, quòd dilectus filius E. Præpositus de Scellsvig. duas Ecclesias,

videlicet de Henestbl. & de Stuntabl. ad suam Præposituram de jure spectantes, eidem injustè subtraxit. Nolentes igitur eundem Præpositum aliquod in suo jure dispendium sustinere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatum Præpositum de Scellsvig. ad restitutionem Ecclesiarum illarum per censuram ecclesiasticam monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, justitia mediante, compellas. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

IOFFRIDO ABBATI
Monasterij de Sore, ejusque fratribus
tam præsentibus quàm futuris, regularem
vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus &c. usque ad verbum vocabulis. Locum ipsum de Sore, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Grangias Slahglose, Luinge, Guthem, Biarby, Vvendelose, Vvethlebi, Asuwardabothe, Egby, cum adjacentibus sylvis, pratis, & pascuis, piscariis, & molendinis. & grangiam in Hallandia, quæ dicitur Toacher, cum sylvis, & ceteris pertinentiis suis. Nytorp, cum adjacentibus agris, sylvis, & pascuis. Gotstorp cum adjacenti sylva, & exterioribus similibus mansiones, videlicet Snartinge, Glostorp, Vvinnige, Quercheby, Scupinge, Tornelef, cum adjacentibus terris, & concoloniis suis. & partem decimarum quam habetis in parochiis Olesch, Harastald, Finnatorp, Gelet. & illud quod habetis in Leoghe, Sundetorp, Sunuarthatorp, Biarby, & Gerlef. & illud quod habetis in provenitibus apud memoriam sanctæ Margaritæ Ecclesiæ beatæ Mariæ Roschildis. Præterea donationem sive concessionem ab inclytæ memoriæ Vvaldemaro quondam Rege Danorum & carissimo in Christo filio nostro Canuto Rege filio ejus super libertate & immunitate colonorum vestrorum vobis pia devotione factam, sicut in eorundem Regum scriptis authenticis continetur, auctoritate vobis apo. confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Sanè laborum &c. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos &c. Prohibemus insuper ut nulli vestrorum fratrum post factam &c. Discedentem &c. Illud districtiùs inhibentes, ne terras &c. Si quæ verò &c. Ad hæc etiam prohibemus ne &c. Quod

*In codice Col-
beriano legitur
Scelvidig

Epist. 415.
Privilegia ip-
sorum atque
donationes
confirmat.

Epist. 413.
Præposituram
ipsi collatam
confirmat.


Epist. 414.
Præposito de
Strand ablatis
Ecclesiis resti-
tuantur.

fi facere &c. Licitum præterea sit vobis in causis &c. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus &c. Si verò Episcopus, in cujus parochia &c. Illud adjicientes, ut in recipiendis proc. &c. Pro consecrationibus verò &c. Alioquin liceat &c. Quòd si sedes &c. Quia verò interdum &c. Porrò si Episcopi vel alij &c. Paci quoque &c. Præterea omnes libertates &c. Decernimus &c. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, IX. Kal. Decembris, Indictione II. incarnationis Dominicæ anno MCXCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

CONSULIBVS ET POPVLO
Tudert.

Epist. 416.
Recipit illos in
protectionem
apostolicam,
confirmatque
vetera ipsorum
privilegia.

Sacrofancta Romana Ecclesia, quæ omnium fidelium mater est & magistra, illos propensius diligere consuevit, quos in devotione ac fidelitate sua novit ferventius permanere, & ut liberius possint ab omnium incurfibus manere securi, eos, tanquam pia mater, protectionis suæ munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filij, devotionem quam erga nos & Romanam Ecclesiam habere noscimini, attendentes, vestris quoque precibus inclinati, civitatem Tudertinam, quæ ad jus & proprietatem apostolicæ sedis pertinere dignoscitur, quam & nos ad manus nostras semper volumus retinere, ita quòd ei cui vices nostras commiserimus, secundum mandatum nostrum debeatis integrè respondere, sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Consulatum autem cum jurisdictione sua vobis auctoritate apostolica confirmamus, concedentes ut his qui sunt ipsius jurisdictioni subiecti, liberum sit ad Consules, qui pro tempore fuerint, legitimè appellare; ita tamen quòd appellationi ad sedem apostolicam interpositæ humiliter deferatur. Consuetudines quoque antiquas vestras, & rationabiles, & communiter observatas duximus approbandas. Salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate pariter & justitia, & Ecclesiarum omnimoda libertate. Nulli ergo &c. nostræ protectionis, conf. & conc. &c.



ABBATI ET MONACHIS
Montis sacri.

Cum super libertate ac subjectione abbatiæ vestræ à multis retro temporibus inter ipsam & monasterium Calanen. controversa fuerit agitata, & pro ipsa tu, fili Abbas, cum quibusdam de fratribus tuis, & dilectus filius Abbas Calanen. cum quibusdam similiter de fratribus suis, ad nostram præsentiam venissetis, quòd dicta Ecclesia vestra subiecta esse debeat Calanen. per authenticum felicis recor. Anastasij prædecessoris nostri dictus Abbas Calanen. ostendere nitebatur: qui rationibus & scriptis utriusque partis prolatis in medium, & coram ipso & fratribus suis quædecuit subtilitate discussis, sicut ibidem plenius continetur, tam scripturarum inspectione quam utriusque partis attestatione cognovit locum Montis sacri & jure fundi & ratione dispositionis ad jus & proprietatem Calanen. monasterij spectavisse, cellamque ipsius fuisse propriam ab antiquo. Verùm quia religione recedente paulatim ab ipso monasterio Calanen. status sui sentiente jugiter detrimentum, locus Montis sacri & religiosorum virorum numero & terrenis cœpit facultatibus ampliari, orta est inter dicta monasteria de prælatione ac subjectione dissensio; fratribus Montis sacri Calanensibus, in quibus fervor religionis pro magna parte defecerat, subesse nolentibus; aliis verò antiquum jus suum in loco Montis sacri laborantibus retinere. Vnde, sicut in ejusdem Anastasij prædecessoris nostri authentico reperitur, cum piæ record. Honorius prædecessor suus ad partes accessisset Apuliæ, & causa ipsa per utramque partem ad ejus notitiam devenisset, intellectis partium rationibus eam taliter terminavit, ut si habitum & ordinem Calanen. monasterij acciperent, monachi Calanenses in loco Montis sacri tanquam in cella sua plenam dispositionem & dominium obtinerent, & fratres Montis sacri Calanensi Abbati tanquam proprij monachi obedirent. Si verò vel non susciperent, vel susceptum etiam non servarent, monachi Montis sacri duos romanatos annuatim solvendo monasterio Calanensi, plenam libertatem ulterius obtinerent; sic tamen ut si ad locum Montis sacri quandoque Abbas accede-

Epist. 417.
Dicituram litem de superioritate & obedientia inter monachos Montis sacri & Calanenses desinit.